

tis judicantes. Negari sane nequit, in corruptissima nos incidiisse tempora, profligata ubique fere vera pietate, de quibus Christus locutus est Luc. 18,8. Non male *Didacus Stella Enarrat.* in Luc. h.l. t.II. f.195. *Quamvis DEUS sic zeletur pro suis ele-ctis, tanta tamen erit tunc malorum multitudo, ut apud paucos vera fides inveniatur.* Pii itaque gementes, & suspirantes super abominationibus, cum applausu & zelo αζηλω excipiunt haud raro inconsiderate ea, quæ ab ejusmodi pietatis restauratoribus infrunitis, jam callidè, jam imperite proponuntur; quos proin etiam, cum in omnibus speciem pietatis præ se ferant, *Pharisæorum exemplo, de quibus Matth. 23.* majoris æstiment, quam genuinæ pietatis, quæ ex fide per Spiritum Sanctum oritur, assertores, & meliora suadentes. Applicare hoc licet, quæ de Macedonianis hæreticis memoriæ prodidit *Nicephorus Callistus,* Hist. Eccles. 1.9. c.47. *Vita, inquit, & moribus, quos potissimum multitudo spectare solet, probatis erant.* In publicum cum gravitate quadam veneranda prodibant --- Et sermo affectata quadam sanctimoniam mistus, vim ad per persuadendum satis accommodatam præse-rebat. Interim erant occulti, dolum & heterodoxiam quam fovebant tegentes, uti illis objicit *Athanasius t. II. Dial. I. contra Maced.* f.m. 267. Egregie hæc cum in novatores nostros ca-dant, hodie etiam; artibusq; his cum melioribus monitis negle-ctis mortales decipi velint, etiam certo decipientur, deceptique admirabuntur aliquando, se Fanatismo tam cito esse deceptos, atque infectos. Dantur præterea etiam hypocritæ, qui nil mi-nus quam vere pii sunt, qui tamen ut tales videantur, omnia quæ ab ejusmodi male piæ pietatis architectis eructantur, pro-bant; scripto etiam & consilio illos juvant. Unde non parvi negotii opus est, ut callido huic & subdolo mortalium generi sic obicem ponas, quo illi, quibus vera pietas curæ cordique est, mulieribus in primis, quorum favorem variis artibus sibi con-ciliare tentant, non offendantur, nec impii occasionem inde sumant, ad ruendum in pejus, quasi cum superstitiona pietas notatur, illorum impietas probetur, ab uno extremo ad alterum delapsorum. Tam similia hodierna tempora brevi facta sunt seculo Montanistarum & Tertulliani, qui ad illos defecit.